SOLENNIA ANNIVERSARIA

IN

GYMNASIO REGIO ONOLDINO

D. VIII. MENSIS AUGUSTI MDCCCLXII

RITE CELEBRANDA

INDICIT

FRANCISCUS SEITZ,

PRAECEPTOR.



Inest dissertatio de Andocidis quae fertur quarta oratione.

TYPIS BRUEGELIANIS.

Si verum est, quod vir doctus nostrae aetatis ante aliquot annos simili loco scripsit, eam esse libellorum, qualis hic est, rationem, ut si is, qui scribat, tantummodo dicat, quid ipsi aliqua de re videatur, etiamsi nihil novi afferat, necessitatis habeat excusationem, ne mihi quidem credo scribenti de Andocidis quae fertur oratione quarta excusationem defuturam esse. Quamvis multa enim de hac oratione jam scripta sint, tamen non tantum quid mihi de ea videatur, sed etiam si non multum tamen aliquid novi de ea afferre posse mihi videor. Nam quum de reliquis tribus Andocidis orationibus, quarum una, de mysteriis habita, nunquam impugnata est, multum disputaretur, ita tamen ut altera, quae est de reditu, non nimis vehementer addubitaretur, alteram magis magisque revera Andocidis esse manifestum fieret, id quod mihi quidem nostris diebus Kirchneri Berolinensis opera confectum esse videtur, de quarta oratione quae instituta est adhuc disputatio prorsus in contrariam partem progressa est. Tayloro enim primo dubitanti num Andocidis esset haec oratio eamque Phaeaci tribuenti postquam repugnaverunt Valckenarius et Ruhnkenius eamque Andocidi vindicare conati sunt, Beckerus primus suspicari coepit, eam nec Andocidis nec Phaeacis esse sed a rhetore quodam posterioris temporis conscriptam. In eandem partem quum jam abiisset Grotius Anglus, postea Meierus Halensis exstitit, qui eam sententiam et sequeretur et copiosissime accuratissimeque omnibus doctrinae eximiae adjumentis confirmare et evincere conaretur. Et fecit ita, ut vix quidquam novi afferri possit, confectaque esset res, si argumentatione ex ipsa oratione capienda confici posset. Id vero quum fieri non posse mihi videatur alia ratione idem quod Meierus evincere conatus sum, esse hanc orationem nec Andocidis nec Phaeacis nec cujusquam illius aetatis, sed a sophista quodam postea confectam. Sed de his plura in ipsa dissertatione quam sum ingressurus.

Primum omnium huic disquisitioni convenire mihi videtur, breviter explicare, quid agatur in ea oratione, quam tractabimus. Postquam paucis verbis initio conquestus, quam spinosum et periculosum esset, rempublicam capessere, demonstravit, boni civis esse, publicae saluti propugnare nec nimia privatarum rerum cura anxium reipublicae se subtrahere, propterea quod non hominum istiusmodi tergiversatione, sed civium fortium et gnavorum opera civitates et magnae et

liberae evaderent, statim nos orator in mediam rem inducit, docens hoc certamen esse inter se ipsum et Alcibiadem et Niciam, quorum unum aliquem exilio decem annorum mulctari necesse sit. Allatis deinde nonnullis quibus illud Atheniensium institutum ostracismi, quem vocabant vituperaret, quae mihi quidem, ut infra accuratius explicabo, non satis apta et convenientia videntur, pergit, cur ipsi causa dicenda sit.

Esse se accusatum crimine alieni a populari causa animi (*μισοδημία*) et studii novarum rerum (*στασιωτεία*), utrumque autem affirmat jam confectum esse, quum eodem crimine jam quater in jus vocatus omni culpa liberatus sit.

Jam transit ad id quod totius orationis quasi summa et caput est, ad incusandum Alcibiadem. Illum esse non minus propter morum pravitatem detestabilem quam reipublicae periculosum. Quippe illum civibus persuasisse, ut sociorum tributa duplicarent, eoque effecisse ut eorum animi ab Atheniensibus abalienarentur. Praeterea eum permulta documenta superbiae non ferendae edidisse, velut in Calliam uxoris fratrem, cujus etiam vitae insidias struxisset, in Agatharchum pictorem, quem invitum vi retinuisset et coegisset, ut domus suae interiora pictura ornaret, in Tauream quendam, quem sibi aemulum verberibus a publicis ludis amovisset. Foedissimam autem scelestissimamque societatem eum iniisse cum Melia muliere quadam, ex qua quum ipse evertendae ejus patriae auctor fuisset, filium contra quam jus et fas esset procreasset. Ex his rebus satis apparere eum quum palam se popularem populique fautorem jactaret, et cives singulos despicere et illudere, neque reipublicae leges ne minima quidem reverentia prosequi. Eundem enim Olympiae sacra vasa publica ab architheoris mutuatum constituto tempore non reddidisse, sed pro suis in solenni pompa prae se tulisse, ita ut Athenienses ceteris Graecis qui aderant ludibrio et derisui essent, eundem ibi in socios ita se gessisse, ut non civis inter cives, sed dominus inter subditos versari videretur. Quibus de causis non se ipsum, sed illum dignum esse, qui exilio decem annorum multaretur. Quod attineat ad utriusque gentem, nullum ex suis majoribus unquam tale quidquam expertum esse, in Alcibiadis autem gente antiquitus inveterasse istam multam et quasi gentiliciam esse, nam et maternum et paternum avum Alcibiadis e patria olim ejectos esse.

Ad extremum Alcibiadi potissimum eam multam esse aptissimam, quippe qui alio modo in jus vocari nequeat, quum ille causam dicere adhuc aut recusaverit, aut sodalium et amicorum ope sese eripuerit, ipse vero, quod supra jam dictum est, quater jam ab judicibus absolutus sit. Sub finem orationis sua in rempublicam beneficia enumerat et narrat, se legatum venisse in Thessaliam, Macedoniam, Molossiam, Thesprotiam, Italiam, Siciliam, et quocunque venisset se vel infestos reconciliasse, vel novos socios Atheniensibus adjunxisse, vel alios ab hostibus abalienasse; denique se pro suis facultatibus rempublicam adjuvisse et in ludis publicis (*εὐανδρίᾳ καὶ λαμπάδι καὶ τραγῳδοῖς*) victorem fuisse.

Haec fere sunt, quae oratione nostra continentur, quam in Alcibiadem scriptam esse, nemo negabit, multo difficilius est ad dijudicandum, quis eam scripserit.

Quum in oratione ipsa Andocides neque suum neque cujusquam ex suis nomen profiteatur, primum mihi quaerendum esse videtur, quis Andocidis eam esse, nobis tradiderit. Legimus in

argumento orationis: *Ἀνδοκίδης Ἀλκιβιάδου κατηγορεῖ τοῦ Κλεινίου* etc., quum vero quis haec argumenta scripserit prorsus ignotum sit, non multum inde concludere possumus. Praeterea supersunt nobis auctores Photius et Harpocration, quorum Photius primus quatuor Andocidis orationes quales nunc exstant recensuit: 1) *περὶ μυστηρίων*, 2) *περὶ τῆς ἑαυτοῦ καθόδου*, 3) *περὶ τῆς εἰρήνης*, 4) *κατ' Ἀλκιβιάδου*, Harpocration autem sub voce *Εὐανδρία**): *Παναθηναίοις*, scribit *Εὐανδρίας ἀγὼν ἤγετο. Ἀνδοκίδης δ' ἐν τῷ κατ' Ἀλκιβιάδου δηλοῖ.* Praeter hos duos neminem invenies qui nostram orationem Andocideam vocaverit. Nam quod Plutarchus in vita decem oratorum inter quinque orationes, quas Andocidis enumerat, etiam *ἀπολογίαν πρὸς Φαίακα* recenset, inde concludi non potest, etiam Plutarchum nostram orationem Andocidi tribuisse. Restant igitur Photius et Harpocration, quorum alterum seculo nono p. Ch. (mortuus est 891) vixisse satis constat, alter, quantum id liquet, seculo quarto p. Ch. vixisse videtur, ita ut intervallo annorum minimum sexcentorum interposito neuter testis satis locuples existimandus sit. Itaque horum virorum testimonia, nisi iis accedit commendatio ex iis, quae ex oratione ipsa de scriptore aut de tempore quo habita sit intelliguntur, non magni momenti esse, quis non intelligat? Videamus igitur, num Andocides hanc orationem scribere potuerit.

Ac mihi perquirenti quibus de causis id fieri non potuerit, liceat paucis antea attingere, quibus viris doctis idem visum sit. Primus Taylorus in lectionibus Lysiacis hanc orationem Andocidi abjudicavit, primum quod Andocides, quantum ex historiae monumentis liqueret nunquam cum Alcibiade et Nicia de ostracismo decertasset; deinde non eam fuisse Andocidi generis conditionem, ut illam domus suae obscuritatem liquido affirmare posset, qui alibi nominis sui splendorem jactare soleret (*καίτοι οὐκ ὄνειδος ὑμῖν ἐστιν ἡ Ἀνδοκίδου καὶ Λεωγόρου οἰκία οὖσα*) qui majorum res gestas, (*οἳ πλείστας μὲν στρατηγήσαντες στρατηγίας, πολλὰ τρόπαια τῶν πολεμίων καὶ κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλατταν ὑμῖν ὑπέδειξαν, πλείστας δὲ ἄλλας ἀρχὰς ἄρξαντες*) qui denique Mercurio satus generis sui summam et religiosam antiquitatem (*οἰκία δὲ πασῶν ἀρχαιοτάτη καὶ κοινοτάτη ἀεὶ τῶν δεομένων*). Tertio autem Andocidem, ut ex Lysia appareret, Siciliam, Italiam, Peloponnesum, Thessaliam, Hellespontum, Joniam, Cyprum peragrasse, sed privatum, sed in *ἀποδημίᾳ*, nostrum autem in Thessalia, Macedonia, Molossia, Thesprotia, Italia et Sicilia legationes praeclaras obiisse. Quae quam diversa! Taylorus adjicit. Horum argumentorum primum accipio alterum et tertium, quibus non multum evinci mihi videatur licet praetermittam, tamen Taylorus is habendus est, qui primus rem in controversiam virorum doctorum vocaverit. Conati sunt eum refutare D. Ruhnkenius et Valckenarius ut mihi quidem videtur minus prospero eventu.

Porro A. G. Beckerus dubitavit in interpretatione germanica Andocidis, num hanc orationem Andocides scripserit**).

Ex recentioribus sufficit Fr. Vaterum laudare, qui et ipse Andocidem hac oratione privandum existimavit, et Meierum Halensem, quem in commentationibus academiae Halensis sat idoneis

---

*) Secutus sum emendationem Taylori (*εὐανδρίᾳ* pro *ἐν ἀνδρίᾳ*), Codd. ABZ. confirmatam, quam recepit Im. Bekk. l. c. cf. A. G. Becker, Andocides p. 87.

**) In Andocide p. 4.

argumentis hanc orationem in dubium vocasse jam supra docui. Restat ut mentionem faciam Grotii doctissimi illius et illustrissimi Angli, qui in historia Graecorum (Vol. III., p. 319) hanc orationem ab Andocide esse habitam prorsus negat.

Hi sunt fere, qui de hac oratione sententiam suam in medium protulerunt. Omisi quosdam, quorum alii in transitu hanc rem attigerunt, alii nihil novi aut quod magni momenti esset attulisse mihi videntur. Ut res postulaverit, suo cujusque loco rationem habebo.

Auctor ipse orationis, quisquis ille est, dicit §. 2: *ὁ μὲν οὖν ἀγὼν ὁ παρὼν οὐν στεφανηφόρος, ἀλλ' εἰ χρὴ μηδὲν ἀδικήσαντα τὴν πόλιν δέκα ἔτη φεύγειν· οἱ δ' ἀνταγωνιζόμενοι περὶ τῶν ἄθλων τούτων ἐσμὲν ἐγὼ καὶ Ἀλκιβιάδης καὶ Νικίας, ὧν ἀναγκαῖον ἕνα τῇ συμφορᾷ περιπεσεῖν.* Certatum igitur est inter Andocidem et Alcibiadem et Niciam, quis eorum exilio multandus esset, quod quaeritur num unquam factum sit.

Andocidem quidem scimus famosa illa causa implicitum fuisse, quae Athenis acta est ob Hermarum mutilationem, quod ipse in ea oratione quam habuit de mysteriis (§. 11 etc.) satis copiose narrat. In qua causa quomodo Andocides se gesserit plane nihil refert, quum constet, finita causa eum ex urbe profectum esse. Ejus rei et Lysias (in And. §. 26) et Andocides ipse (de myst. 137) testes sunt. Alcibiades eodem anno classe in Siciliam abiit. Inde revocatus, quod eo ipso crimine accusatus erat, quum civibus suis diffideret, non Athenas rediit, sed primum Thurios, deinde Lacedaemonem se contulit. Nicias vero in Sicilia foedissima illa Atheniensium clade periit. Inde sequitur, ut certamen illud ante bellum Syracusanum fuisse necesse sit, i. e. hieme anni 415. (Thuc. V., 83. 84.) Unde patet, hanc orationem habitam esse, si quidem habita est, hieme vel ineunte vere anni 415. Et sane invenimus apud Plutarchum hoc fere tempore Athenis actum esse de ostracismo inter Alcibiadem ejusque adversarium sive is Nicias sive Phaeax fuit. Neque enim Plutarcho ipsi satis liquida res fuisse videtur, quum in vita Niciae (c. XI.) narret, rem actam esse inter Niciam et Alcibiadem, quorum qui utriusque partes sectarentur quum vidissent, Hyperbolum hominem nequam et vilem imprimis niti, ut alteruter ejiceretur, sperantem fore ut ipse cum altero de principatu certaret, conjunctis viribus id egisse, ut Hyperbolus pelleretur. Addit autem Plutarchus; *Οὐκ ἀγνοῶ δ' ὅτι Θεόφραστος ἐξοστρακισθῆναί φησι τὸν Ὑπέρβολον Φαίακος, οὐ Νικίου, πρὸς Ἀλκιβιάδην ἐρίσαντος. Ἀλλ' οἱ πλείονες οὕτω γεγράφασιν.* In vita Alcibiadis autem (c. XIII.) idem narrat, certatum esse inter Alcibiadem et Phaeacem et Niciam, *ἐπεὶ δὲ δῆλον ἦν, ὅτι ἑνὶ τῶν τριῶν τὸ ὄστρακον ἐποίσουσι, συνήγαγε τὰς στάσεις εἰς ταὐτὸν Ἀλκιβιάδης καὶ διαλεχθεὶς πρὸς τὸν Νικίαν, τῷ Ὑπερβόλῳ κάτω* (?) *τὴν ὀστρακοφορίαν ἔτρεψεν. Ὡς δ' ἔνιοί φασιν, οὐ πρὸς Νικίαν, ἀλλὰ πρὸς Φαίακα διαλεχθείς, καὶ τὴν ἐκείνου προςλαβὼν ἑταιρίαν, ἐξήλασε τὸν Ὑπέρβολον, οὐδ' ἂν προςδοκήσαντα. Φαῦλος γὰρ οὐδεὶς ἐνέπιπτεν εἰς τοῦτον τὸν κολασμὸν κ. τ. λ.* Utroque loco vides eandem rem tradi de Alcibiade, de Nicia, de Phaeace, de Hyperbolo. Vix unquam satis explicari posse videtur, uter horum cum Alcibiade decertaverit, Nicias an Phaeax, sed ut inter omnes constat, Alcibiadem certe illigatum fuisse illa lite, ita negari non potest, Andocidis nusquam ne minimam quidem mentionem fieri. Adde quod Andocides ipse, qui si hac causa implicitus fuisset, effugise credendus esset, quum brevi post laesae religionis propter mutilatos Hermas Athenis accusaretur, in suis orationibus, quae cunctae post hanc causam actam habitae

sunt, nunquam de hac re commemorat, quamvis alias non verecundetur in orationibus res a se inprimis gloriose gestas jactare. Ex his rebus recte colligere mihi videor, Andocidem ab hac causa plane alienum fuisse ideoque ne habuisse quidem orationem.

Priusquam autem confectam hanc rem existimemus, respiciendae sunt quaedam quaestiones, quas attulit D. Ruhnkenius in sua historia critica Oratorum Graecorum. Ibi enim (Vol. III., Orr. gr. J. Jak. Reiskii p. 138 etc.) praeter alia quae infra tractabo scripsit haec: „Hunc ipsum locum (orationis nostrae §. 29 *τὰ πομπεῖα παρὰ τῶν ἀρχιθεωρῶν αἰτησάμενος, ὡς εἰς τἀπινίκια, τῇ προτεραίᾳ τῆς θυσίας χρησόμενος, ἐξηπάτησε, καὶ ἀποδοῦναι οὐκ ἤθελε, βουλόμενος τῇ. ὑστεραίᾳ πρότερος τῆς πόλεως χρήσασθαι τοῖς χρυσοῖς χερνίβοις καὶ θυμιατηρίοις*) laudat Moeris Atticista p. 332. *Πομπεῖα, Ἀττικῶς, τὰ θυμιατήρια καὶ τὰς χέρνιβας, ὡς Ἀνδοκίδης.* Sequor enim conjecturam Cl. Valckenarii apud Pierson., qua pro vulgato *Θουκυδίδης* legit *Ἀνδοκίδης* Athenaeus etiam IX. p. 408. D. eundem locum laudat. *Ἀττικοὶ δὲ χερνίβιον λέγουσιν, ὡς Λυσίας ἐν τῷ κατὰ Ἀλκιβιάδου; τοῖς χρυσοῖς χερνιβίοις καὶ θυμιατηρίοις.* Quae ex eo descripsit Eustathius ad Od. A. p. 33. Sed Athenaeus memoriae lapsu Lysiam laudavit pro Andocide, bene id observante Tayloro.“ Sic Ruhnkenius, inde concludens hanc orationem minime Phaeacis esse, ut Taylorus affirmaverat, in quem Ruhnkenius haec scripsit, sed Andocidis. Sed, ut alia omittam, quis non videt quam fragilia et tenuia sint haec argumenta, quum utroque loco Andocidis nomen conjectura restitutum sit, ita ut suspicari saltem liceat, illos scriptores ipsos non satis certe scivisse, unde illud vocabulum *πομπεῖα* sumpsissent. Sed concedamus, hanc conjecturam prorsus recte factam esse, quid inde sequitur? Certe nihil aliud quam Moeridis et Athenaei temporibus nostram orationem jam Andocidi esse tributam. Vixit autem Moeris c. 200 p. Ch. n. ut nonnulli suspicantur, (nam pro certo habere id non possumus), itaque perfacile fieri potuit, ut oratio, ab alio quodam conscripta plus quingentis annis post, jam sub Andocidis nomine ferretur. Eodem pertinet quod Harpocration s. v. *Ἐμποδών* et *εὐανδρία* orationem ut Andocidis laudat, quem ex eodem fonte hausisse vix quisquam negaverit.

Praeter Ruhnkenium Valckenarius Taylori adversarius exstitit orationem Andocidis esse defendens, cujus argumenta quum maxime in Taylorum orationem Phaeaci vindicantem disposita sint, liceat ea infra latius exsequi. Jam satis est respicere cur Andocidis esse orationem existimet. Primum legationes ait quae in oratione enumerentur, Phaeacem suscepisse comprobari non posse, quum Thucydides duarum ejus legationum (in Siciliam et Italiam) mentionem faciat, Andocidem vero has omnes legationes suscepisse, teste putat vel adversario Lysia, qui paene easdem legationes in sua oratione enumeret. Quodsi concedendum sit, eum non legationes nominare sed *ἀποδημίαν* tamen id ut in adversario neque mirum neque magni momenti esse. Equidem confiteor, nec hunc neque illum omnes illas legationes suscepisse evinci posse, id quod etiam Fr. Vaterus recens Phaeacis propugnator concedit id unum addens, non aequum esse postulare, ut hae legationes ad unam omnes ex rerum illo tempore gestarum monumentis demonstrentur, quum vel de paucis id fecisse sufficiat; quem historicum enim omnes illas legationes tradidisse. De Andocide autem illae legationes evinci prorsus non possunt. Licet enim Lysias vocabulo *ἀποδημίας* consulto odii causa usus sit, tamen constat ex oratione Andocidis ipsius (de myst.) eum illa sive itinera sive lega-

tiones demum post causam ob mutilatos Hermas actam, i. e. post annum 415 fecisse; qui igitur eas enumerare potuit jam hieme antecedente?

Jam Valckenarius quoque illum Moeridis et Harpocrationis locum laudat, de quo jam supra dixi.

Deinde quosdam locos laudat Valckenarius quos cujusquam nisi Andocidis esse posse negat, velut §. 2. *μεγίστοις περιπέπτωκα κινδύνοις, προθύμων μὲν καὶ ἀγαθῶν ἀνδρῶν ὑμῶν τυγχάνων, διόπερ σώζομαι, πλείστοις δὲ καὶ δεινοτάτοις ἐχθροῖς χρώμενος, ὑφ' ὧν διαβάλλομαι.* Sed dicat aliquis, cur tandem Andocides solus haec verba facere potuerit? nonne fieri potuit, ut eadem Phaeax diceret, vel rhetor aliquis, qui postero tempore oratione, quae etiamtum supererat, utebatur, ut exercitandi causa aliam conscriberet? Nimirum prorsus generaliter mihi haec omnia dicta esse videntur, et quod noster orator queritur, idem Athenis nunquam non cuivis experiri licebat. Deinde quaedam alia profert Valckenarius, velut §. 2. *τετράκις ἀγωνιζόμενος ἀπέφυγον* §. 35 *ἐγὼ τοίνυν ἔν τε τῷ κοινῷ κέχρημαι τετράκις, ἰδίᾳ τε οὐδένα διεκώλυσα δικάζεσθαι βουλόμενον·* denique §. 36 *τοσαυτάκις ἀγωνιζόμενος δικαίως καὶ νικήσας* etc. Ad haec Valckenarius quod valde miror addit: saepius accusatum Andocidem ex ipsius orationibus constat, ob Hermas dejectos, ob Cereris mysteria vulgata, ob reditum in templa. Quae omnia ita se habere quis neget, sed miror illum virum doctissimum praeteriisse, omnes eas causas, quas hic evincendi Andocidis causa commemorat, postea actas esse, itaque omnibus his argumentis e contrario evinci Andocidem hanc orationem non habuisse.

Transeo ad alium Valckenarii locum: Andocides ait se habuisse validissimos accusatores *καὶ λέγειν καὶ πράσσειν, οἵτινες δύο τῶν τὴν αὐτὴν ἐμοὶ αἰτίαν ἐχόντων ἀπέκτειναν*, quod quo pertineret neminem adhuc inveni qui explicaverit; nam quae Taylorus et Vaterus de hac re protulerunt, iis assentiri non possum. Ceterum patet uno ejusmodi loco obscuro neque evinci nec refutari quidquam posse, praesertim quum nec nomen nec aliud quidquam proditum sit quo accuratius quid spectet orator significet. Quis non videt tale quid quemlibet loquentem induci posse. Atque ea ipsa dicendi ratio, quod supra jam attigi, qua semper, simulac de se suaque fortuna orator commemorat obiter et generaliter loquitur, permultum suspicionis mihi attulit. Sed de his infra plura. Id quidem stat, Andocidem solum hoc de se praedicare potuisse neminem unquam comprobaturum esse.

Postremo Valckenarius laudat §. 22 *τῶν νέων αἱ διατριβαὶ οὐκ ἐν τοῖς γυμνασίοις, ἀλλ' ἐν τοῖς δικαστηρίοις εἰσί, καὶ στρατεύονται μὲν οἱ πρεσβύτεροι, δημηγοροῦσι δὲ οἱ νεώτεροι.* Hoc quoque in Andocidem cadere ait, non in Phaeacem qui et ipse in numero juniorum habendus sit. Id etsi in Phaeacem omnino non cadere concedo, tamen de auctore orationis nihil inde patet. Quisquis enim orationem legit quam habitam esse contra Alcibiadem a Nicia Thucydides tradit, is perfacile intelliget tum juniores sive bellandi cupidos et seniores sive pacis sectatores quasi obstrectasse inter se eamque obtrectationem in omnium ore fuisse omniumque studia tenuisse, ita ut non magnae esset prudentiae tecte de his rebus significare si quis orationem componeret quam in illo tempore collocaturus esset.

Ex his omnibus rebus jam satis haec apparere videntur: Haec oratio ponenda est in hieme anni 415, circa quod tempus ostracismum habitum esse inter omnes constat, (num ipso

anno habitus sit infra accuratius perscrutabimur) nec minus Alcibiadem illa re illigatum et Hyperbolum ejectum esse. Utrum Nicias an Phaeax an uterque cum Alcibiade decertaverit, haud facile quisquam decernet. Plures quam terni non facile proponebantur, quin ne id quidem constat trinos semper propositos esse, quum saepissime de binis agere solerent, quod mihi quidem illi instituto maxime consentaneum videtur. Sed utut hoc fuit, Andocidis quidem in hac causa nemo unquam mentionem fecit, ne ipse quidem in orationibus quas postea habuit, etsi quum aliquot mensibus post Athenis commoraretur, crimen et judicium effugisse existimandus esset. Perpauci illi loci quos ad eum pertinere nonnulli putabant, non tam perspicui sunt ut non aliter explicari possint, itaque satis certe concludere possumus, totam istam de ostracismo actionem ad Andocidem non pertinuisse, quodsi verum est, luce clarius apparet, hujus orationis auctorem eum non esse.

Jam vero quaerendum est, quisnam orationem confecerit, quandoquidem exstat ea et omni colore illorum temporum speciem prae se fert. Quod Plutarchus tradidit praeter Niciam etiam Phaeacem cum Alcibiade de ostracismo decertasse, inde complures suspicati sunt, ab eo hanc orationem scriptam esse, idque tanta doctrina eoque animi acumine evincere conati sunt, ut accuratius eorum argumenta examinari oporteat.

Horum primus fuit is, quem jam supra dixi, J. Taylorus, qui in lectionibus Lysiacis (Cap. VI., §. 258 ed. Reiske) hanc orationem non Andocidis, sed Phaeacis esse contendit.

Argumenta, quibus sententiam probare conatus est, haec sunt: Locum illum Harpocrationis, quem supra diximus ab ipso Tayloro emendatum esse, ita ut quod jam omnes receperunt pro ἐν. ἀνδρίᾳ εὐανδρίᾳ scriberet, hunc locum paucis transmittit, paululo festinantius, ut mihi videtur. Sed de his infra accuratius disputabo. Deinde censet, Andocidem nunquam cum Alcibiade et Nicia de ostracismo certasse, qua in re cum eo consentimus. Jam alterum profert argumentum, utique satis mirum. Nam spectans §. 34 εἰ δεῖ κατὰ γένος σκοπεῖν, ἐμοὶ μὲν οὐδαμόθεν προςήκει τοῦ πράγματος, οὐδὲ ἔστιν οὐδεὶς ὅστις ἂν ἀποδείξειε τῶν ἡμετέρων οὐδένα τῇ συμφορᾷ ταύτῃ χρησάμενον, Ἀλκιβιάδῃ δὲ μάλιστα πάντων Ἀθηναίων, Taylorus: „Secundo inquit autem Phaeax Erasistrati neque domo admodum nobilis, neque majoribus clarus, recte ea, quae dixit, potuit, proferre. Gens Erasistrati nullam in Vett. monumentis dignitatem consecuta est; primus erat, qui nobilitavit, noster Phaeax etc.“ Ad haec jam Ruhnkenius scripsit: „Enimvero nimium causae, quam susceperat, studium hic etiam transversum egit virum doctissimum.“ Quisquis enim ad loci illius lectionem non praeceptam affert opinionem statim intelliget, contraria ac diversa esse ea, quae orator dicit, et ea, quae Taylorus inde sibi sumsit, nam orator non dicit, suam gentem nullam dignitatem consecutam esse, sed ex contrario, suum genus ejusmodi esse, ut cum Alcibiade non modo comparari non recuset, sed etiam sperare possit, sese superiorem ex illa contentione discessurum esse. Sed mittamus totam hanc argumentationem, quam non magni esse momenti, nemo negaverit.

Transeamus ad aliud argumentum. Laudat Taylorus locum Aristophanis (Equitum V., 1374) ubi de Phaeace haec sunt:

σοφὸς γ' ὁ Φαίαξ δεξιῶς τ' οὐκ ἀπέθανε.
Συνερκτικὸς γάρ ἐστι, καὶ περαντικὸς,

Καὶ γνωμοτυπικὸς καὶ σαφὴς καὶ κρουστικος,
Καταληπτικός τ' ἄριστα τοῦ θορυβητικοῦ.

Cum his comparans quae Noster dicit §. 37: *οἵτινες δύο τῶν τὴν αὐτὴν αἰτίαν ἐχόντων ἐμοὶ ἀπέκτειναν*, Aristophanis testimonio confirmari contendit, quae orator dixerit. „Concordant omnia, pergit, confirmat enim noster orator, se olim capitis causam dixisse; fuisse sententiis judicum absolutum; duos deinde, qui in eadem fuerint causa, dissimili tamen usos esse fortuna et mortem subiisse.“ Sic Taylorus. At nos videamus, num omnia se ita habeant. Consident apud Aristophanem aliquot adolescentes inter se confabulantes, gaudent, quod Phaeax nuper non capitis damnatus sit eumque et *σοφόν* et *συνερκτικόν κτλ.* significant, idque congruere Tayloro videtur cum his verbis oratoris *τεθνάναι δ' οὐκ ἄξιος* et *οἵτινες δύο τῶν τὴν αὐτὴν αἰτίαν ἔχοντων ἐμοὶ ἀπέκτειναν.* De his priusquam pergamus haec praemittere liceat, etiamsi et illorum adolescentium sermones et orator noster ad eandem causam spectent, mihi nihilo magis orationem nostram a Phaeace scriptam demonstratum esse videtur. Insunt enim in ea quaedam, quae nullo negotio etiam ad Andocidem referri possint, quem orationis scriptorem non esse jam demonstravisse nobis videmur. Sed prorsus non constare mihi videtur, eandem causam ab utroque spectari. Quodsi reputamus Equites Aristophanis cum primum anno 424 mense Januario in scenam missi essent, causam illam, quam tangunt sermone adolescentes saltem anno 425 actam esse oportere, patet inter eam et nostram decem annos intercedere. Quisquis autem orationes Andocidis vel cujusvis alius oratoris legerit, is inveniet, eos res tanti momenti, quae decem vel pluribus annis antea acciderint, aliter in audientium memoriam revocare, quam strictim et quasi in transitu, quod cur fecerint, qui noverit, quam celeriter memoria rerum nullis literarum monumentis consignatarum depravari potuerit, perfacile intelliget. An credat quisquam, Athenienses memores fuisse causae, quae ante decem annos acta erat, idque non coram populo, sed judicibus? Num credibile est, ullum oratorem tale aliquid sui defendendi causa attulisse, quin intelligeret id incassum fore? Quodsi dixisse illud *οἵτινες δύο τῶν τὴν αὐτὴν αἰτίαν ἐχόντων ἐμοὶ ἀπέκτειναν* oratorem credamus, tamen qui tam breviter ac nude aliquid tangeret, cum oporteret eam rem spectare, quae omnium in mente infixa adhuc haereret, quod quidem hac in re vix fieri potuisse videtur.

Alium laudat locum Taylorus ad confirmandam sententiam §. 29. *Ἵνα τὴν πόλιν ὅλην ὑβρίζων ἐπιδόξειε, τὰ πομπεῖα παρὰ τῶν ἀρχιθεωρῶν αἰτησάμενος ὡς εἰς τἀπινίκια τῇ προτεραίᾳ τῆς θυσίας χρησόμενος, ἐξηπάτησε καὶ ἀποδοῦναι οὐκ ἤθελε, βουλόμενος τῇ ὑστεραίᾳ πρότερος τῆς πόλεως χρήσασθαι τοῖς χρυσοῖς χερνίβοις καὶ θυμιατηρίοις. ὅσοι μὲν οὖν ξένων μὴ ἐγίγνωσκον ἡμέτερα ὄντα, τὴν πόμπην τὴν κοινὴν ὁρῶντες ὑστέραν οὖσαν τῆς Ἀλκιβιάδου τοῖς τούτου πομπείοις χρῆσθαι ἐνόμιζον ἡμᾶς κτλ.* Huc spectare dicit locum illum Plutarchi, Alc. XIII. *φέρεται δὲ καὶ λόγος τις κατ' Ἀλκιβιάδου ὑπὸ Φαίακος γεγραμμένος, ἐν ᾧ μετὰ τῶν ἄλλων γέγραπται, καὶ ὅτι, τῆς πόλεως πολλὰ πομπεῖα χρυσᾶ καὶ ἀργυρᾶ κεκτημένης, Ἀλκιβιάδης ἐχρῆτο πᾶσιν αὐτοῖς ὥσπερ ἰδίοις πρὸς τὴν καθ' ἡμέραν δίαιταν.* Ad haec etiam Vaterus, qui Taylori conjecturam secutus est, commentatus est: „(p. 441) accedit vero etiam disertum testimonium Plutarchi (Alc. XIII.), qui Phaeaci tribuit hanc orationem, ut primus Taylorus l. l. p. 695 squ. *Φέρεται δὲ καὶ λόγος τις* etc., ubi *ὑπὸ Φαίακος*

pro *καὶ Φαίακος* ex Aldina a Tayloro restitutum est.“ Hinc illi conjicere se posse existimant, Plutarchum et orationem ipsam cognovisse et Phaeaci attribuisse. Recte reposuerunt iis Ruhnkenius et Valckenarius, concordare illos locos videri, re vera discrepare. Sed et Ruhnkenius et Valckenarius hac in re errasse videntur, quippe qui verba nimis premerent, ullam omnino inter nostram orationem et Plutarchi verba intercedere affinitatem infitiantes, quam esse sine ulla dubitatione concedere possumus. Locos quos quis laudat nemo obtinebit semper ad verbum describendos esse, idque hic eo minus, quum is, qui laudat, ipse significet, se librum non ipsum inspexisse, sed quid in eo esset ab aliis accepisse. Hoc Plutarchus satis aperte facere mihi videtur. Quod si ita esse statuerimus facile concedemus, Plutarchum aliquam cognitionem imbuisse orationis, quam Phaeaci tribuerent, in qua inter alia traderetur illud insolentiae documentum, quod Alcibiadis aliquando Olympiae in suos cives ediderat. Quid amplius autem inde redundat, quam exstitisse jam Plutarchi temporibus orationem aliquam, quam quum nemo certe sciret cujus esset, alii Phaeaci alii Andocidi tribuerent, neutri tamen certis argumentis probare possent. Plutarchum ipsum orationem inspexisse negavi, sed de hac re non ita multo post explicandum erit; utut autem res se habet, id manifestum est, si vel maxime concedamus Plutarchum illa Olympica ex nostra oratione sumpsisse, tamen inde minime conjici potest, quod Tayloro visum est, hanc orationem a Phaeace esse scriptam.

Restat ut de una re agamus. Orator quisquis ille est sub finem orationis §. 41 dicit haec: *βούλομαι δ' ὑμᾶς ἀναμνῆσαι τῶν ἐμοὶ πεπραγμένων. ἐγὼ γὰρ πρεσβεύσας εἰς Θετταλίαν καὶ Μακεδονίαν καὶ εἰς Μολοσσίαν καὶ εἰς Θεσπρωτίαν καὶ εἰς Ἰταλίαν καὶ εἰς Σικελίαν τοὺς μὲν διαφόρους ὄντας διήλλαξα, τοὺς δ' ἐπιτηδείους ἐποίησα, τοὺς δ' ἀπὸ τῶν ἐχθρῶν ἀπέστησα.* De hoc loco Vaterus scripsit: (432) „In tota vero oratione cum nihil reperiatur, quod a Phaeace alienum sit, quaedam tamen huic maxime conveniunt, quatenus ex aliorum scriptis notus est, ita ut alius demonstrari nequeat, cui magis apta sint, et ut primum de legationibus dicam, de his orator haec prodidit (41. p. 34, 25): „Legatus in Thessaliam, in Macedoniam, in Molossiam, in Thesprotiam, in Italiam et in Siciliam missus eos, qui irascerentur nobiscum, in gratiam reduxi, alios conciliavi, alios denique ab hostium partibus abstraxi,“ haec omnia non apta sunt juventuti*) Andocidis, nec eorum mentionem fecit Andocides in genuinis orationibus ubi merita sua crepat, sed a Phaeace non modo non abhorrent, cujus non habeamus posteriorem aut aliam ullam orationem, qua haec repeti et confirmari possint et de quo omnino parum sciamus, sed etiam in Sicilia et Italia legatum fuisse Phaeacem Thucydides prodit (V, 4 sq.)“ Et Ruhnkenio quidem has legationes Andocidi vindicanti ex Lysia qui odii excitandi causa pro *πρεσβείας ἀποδημίαν* posuerit Vaterus recte respondit, utrum *πρεσβεία* an *ἀποδημία* diceretur, nihil referre, quum manifestum esset, Andocidem illas terras omnes post actam hanc

---

*) Vaterus in peculiari dissertatione (Rerum Andocidearum Particula I. Berolini 1840) demonstrare conatus est, Andocidem multo post natum esse, quam Plutarchus (X. orr. And.) tradidit, quod Meierus quoque accepit, ita ut Andocides eo tempore, de quo hic agimus, fere viginti quinque annorum esset. Quum mihi ad hanc orationem non multum ea res pertinere videretur, non amplius exsequenda mihi visa est, etsi mihi quidem argumenta, quae illi attulerunt, non sufficere videntur.

causam adisse, unde pateat, Andocidem orationem hanc non scripsisse. Neque vero Phaeacis eam esse ex hac re una evinci potest, quanquam confiteor hanc rem esse magni, vel potius maximi momenti, ita ut nisi aliae res obstarent, ex tanto rerum concentu concludi posset orationem esse Phaeacis. Etenim id Vatero concedendum est, quod dicit p. 433, „ineptus sit oportet, qui omnium legationum memoriam apud Thucydidem quaesiverit (nam quot non legationes missae sunt in isto bello, quas non commemoravit scriptor gravissimus?),“ quin etiam id statuo, orationem argumentis confirmatam ipsam esse fontem rerum gestarum, et rem aliquam ob id ipsum esse credibiliorem, quod in oratione ejus mentio fiat. Itaque non possum non haec statuere; legationem illam Phaeacis in Siciliam et Italiam a Thucydide confirmari non nego, fieri potuisse igitur mihi videtur, ut Phaeax reliquas quoque in oratione enumeratas faceret, ut etiam in oratione habita eas commemoraret, neque vero minus dubito, num haec oratio a Phaeace scripta sit. — Sed tempus est transire ad argumenta proferenda, cur id fieri non potuerit.

Constat inter omnes institutum esse aliquando ostracismum de Alcibiade, de Nicia, de Phaeace, item tum ejectum esse Hyperbolum. Quod quo anno factum sit quum nusquam conceptis verbis tradatur, omnes adhuc anno 415 a. Ol. rem factam esse posuerunt. Sed de hoc postea plura afferamus. Neque est quod negemus orationem tum habitam esse sive a Phaeace sive ab Andocide, (quod quidem mihi videtur minus verisimile), sed hanc orationem, quae adhuc exstat, tum habitam esse, perquam dubium esse mihi videtur. Recte mihi jam Beckerus divinasse videtur, orationem esse suppositiciam, cum haec diceret*): Da indessen bekanntlich sich das Alterthum gleichfalls im Urtheil über die Echtheit anderer Reden oft geirrt, sollte nicht ein ähnlicher Irrthum auch hier möglich und sogar wahrscheinlich sein? In den Schulen der Rhetoren gehörten die *λοιδορίαι Ἀλκιβιάδου* zu einem stehenden Artikel declamatorischer Uebungen, vielleicht früher wo das Interesse an Alkibiades noch lebendiger und frischer war am häufigsten, und da wie anderwärts gezeigt ist, oft sehr früh und selbst kurze Zeit nach der Verfertigung der echten Werke eines Schriftstellers auch unechte denselben hinzugefügt wurden: so könnte man leicht glauben, dass schon Plutarch durch diese dem Andokides vielleicht schon von den Alexandrinern zugeschriebene Rede getäuscht worden sei. Uebrigens ist es klar, dass der Angriff auf Alkibiades und die Verunglimpfung seines Lebens und Charakters die Hauptpartie unserer Rede bilde, welcher die übrigen Theile, nicht eben mit der Hand eines Künstlers, angeheftet sind.

Hinc opinor omnem disputationem proficisci oportere. Verisimillimum mihi videtur Phaeacem tum orationem habuisse, quae ad posteros pervenerit, neque vero sub Phaeacis nomine. Postea rhetorem aliquem hanc orationem resque, quae in ea continerentur, pro argumento sumsisse ex quo novam fingeret. Quodsi perpenderimus, quid in Graecia tum centum fere anni valuerint, multa in hac oratione minus mira apparebunt. Etenim qui in aliis orationibus sive Andocidis velut de Pace, sive in Aeschinis oratione de falsa oratione etc. legerit quomodo interposito intervallo tantum quinquaginta vel sexaginta annorum de rebus, quibus vel ipsi intererant vel ab aliis audiverant,

---

*) Andocid. p. 14.

qui eas ipsi viderant, oratores res gestas ad suum quisque usum commodumque vel fingendo vel detrahendo componere solerent, is non ita miretur, post ducentos vel plures annos rhetorem aliquem ejusmodi res protulisse, quales Noster protulit. Ita demum intelligitur, qui fieri potuerit, ut de quibusdam rebus non aliter dissereret, quam qui prorsus non intelligeret, quomodo res tum se haberent, velut de ostracismo, de bello maritimo a Lacedaemoniis imminente, de fuga sociorum Thurios facta etc., ut porro quaedam res proferret, quas homines quidem post ducentos annos viventes crederent, aequales vero illico erroneas cognovissent et irrisissent, velut de tributo ab Alcibiade duplicato, de filio ex muliercula illa Melia suscepto etc. Sic demum intelligitur, quomodo postremo oratio nostra, quum cui tribuenda esset nemo sciret, Andocidi tributa sit, cujus in orationibus fortasse inventa est. Quod quum factum esset, perfacile grammatici et rhetores quidam temporis posterioris, velut Moeris, Eustathius alii, qui magis seduli, quam acuti quidquid assequi poterant congerebant, eam Andocidis esse existimarunt. Plutarchum jam supra negavi hanc orationem ipsum novisse, ipse enim significat ea ratione, qua illam orationem laudat, se eam non legisse. Legimus apud eum *φέρεται δὲ καὶ λόγος τις κατ' Ἀλκιβιάδου ὡς Φαίακι γεγραμμένος, ἐν ᾧ μετὰ τῶν ἄλλων γέγραπται καὶ ὅτι κτλ.* qui locus quam sit obscurus inde patet, quod omnibus adhuc interpretibus crux fuit, quam sua quisque ratione explicare conatus est. Reiskius, quod mihi quidem maxime placet, scripsit ut supra locum illum laudavi *λόγος τις — ὡς Φαίακι γεγραμμένος,* Taylorus conjecturam fecit *ὑπὸ Φαίακος γεγραμμένος*, idque se ex Cod. Aldino sumpsisse contendit. Quod quum Valckenarius et Ruhnkenius refutare non possent, Andocidi tamen orationem vindicare conati sunt, obtinendo illam Phaeacis orationem longe aliam esse. Sed difficillima esset fateor res ad explicandum, si revera *ὑπὸ Φαίακος* codices haberent, neque illorum virorum doctissimorum argumentis satis illustrata videretur, nisi peropportune Meierus (p. 147 opuscula academica) invenisset scripturam *ὑπὸ Φαίακος* tantum esse Xylandri correctionem, ab anonymo adnotatam, in libro autem nullo repertam. Meierus ipse conjicit, scribendum esse *κατ' Ἀλκιβιάδου ὡς Φαίακος γεγραμμένος*, „fertur oratio quaedam contra Alcibiadem scripta, ut Phaeacis.“ „Id si recte conjicio, pergit ille, Plutarchus significasse putandus est, primum eam orationem admodum obscuram et ignobilem (*λόγος τις*), dein Phaeacis quidem nomine esse inscriptam, inscriptionem autem eam suspectam videri. Verum ea de conjectura aliis aliud placeat;“ etc. Haec Meierus, mihi quidem placet, quod jam supra dixi *ὡς Φαίακος γεγραμμένος*, quod jam Reiskius scripsit, sed utut est, id constat, Plutarchum eam orationem non ipsum vidisse, nam quam quis ipse legerit orationem, de ea non tam incerto modo scribit. Porro si hanc orationem vidisset, quomodo fieri potuit, ut dubitaret utrum inter Alcibiadem et Phaeacem, an inter Alcibiadem et Niciam decertatum esset, quod videmus eum fecisse ex Niciae vita cap. XI.: *Οὐκ ἀγνοῶ δ' ὅτι Θεόφραστος ἐξοστρακισθῆναί φησι τὸν Ὑπέρβολον Φαίακος, οὐ Νικίου πρὸς Ἀλκιβιάδην ἐρίσαντος. Ἀλλ' οἱ πλείονες οὕτω γεγράφασιν.* Quae verba quomodo scribere potuit, qui legisset in nostra oratione, *οἱ δ' ἀνταγωνιζόμενοι ἐσμὲν ἐγὼ καὶ Ἀλκιβιάδης καὶ Νικίας*, eamque orationem Phaeacis esse persuasum habuisset.

Jam, quae mihi obstare videantur, quominus haec oratio a Phaeace habita sit, exsequar. Hac in re fieri non potest, quin in Meierum usque recurram, quippe qui de iisdem rebus egerit, nec non brevius de his rebus agam eadem de causa.

Primo me idem offendit, quod Meierum quod qui hanc orationem confecit paene nihil, saltem nihil certi de se ipso tradidit. Totam perscruteris orationem, neque quidquam invenies, quam paucula ista, eaque obscura et vaga et inania, sese jam quater esse in jus vocatum et crimine, quo accusatus esset absolutum, se ex ea gente ortum esse, cujus nemo adhuc testularum suffragiis multatus esset, postremo se jam legationes suscepisse in Italiam, in Siciliam etc. et in variis ludis publicis inclaruisse. Jam habes omnia. Num credibile est, haec suffecisse, hominem Atheniensem, cui decem annorum exilium impenderet, nihil amplius sui defendendi causa allaturum fuisse? Recte quidem Meierus dicit: „(§. 108) Non caret veritas notis suis; sed fraus, verita scilicet ne convincatur aliquando lucis odio abhorret ab notis certis; itaque amat sententias communes, quod in earum umbra latere se posse sperat, neque quidquam magis fugit, quam in eas res exspatiari, de quibus non licet dicere nisi interiore et accuratiore temporum scientia imbuto.“ Nimirum accusare Alcibiadem non magnae erat operae, cujus insolentia, superbia, morum dissolutio quasi in omnium ore esset, quemcunque igitur incidit sive in oratorem, sive in rerum scriptorem Noster, in eo satis invenit argumentorum contra illum, quae non opus esset nisi colligere et quodammodo inter se conjungere, at vero longe aliter res se habebat, quum cujus nomen prae se ferret fortunam resque ab eo actas prolaturus erat. Nec oratorum nec scriptorum quisquam multa de illo habebat, quid aliud igitur reliqui fuit, quam ut communes quasdam sententias afferret, quas nescio quo loco invenerat. Nonne vel invitus hac re significat, accuratiora et minutiora de suo oratore se ipsum nescire?

Venio ad aliud Meieri argumentum, quod magnam suspicionem mihi movit, totam orationem multo post illud tempus cui tribuenda esset, confectam esse. Orator personatus §. 6 de ostracismo disserit haec: *Ἄξιον δὲ μέμψασθαι τὸν θέντα τὸν νόμον, ὃς ἐναντία τῷ ὅρκῳ τοῦ δήμου καὶ τῆς βουλῆς ἐνομοθέτησεν ἐκεῖ μὲν γὰρ ὄμνυτε μηδένα μήτε ἐξελᾶν μήτε δήσειν μήτε ἀποκτενεῖν ἄκριτον, ἐν δὲ τῷδε τῷ καιρῷ οὔτε κατηγορίας γενομένης οὔτε ἀπολογίας ἀποδοθείσης διαψηφισαμένων κρύβδην τὸν ὀστρακισθέντα τοσοῦτον χρόνον δεῖ στερηθῆναι τῆς πόλεως.* Docet igitur orator noster auditores, quam vitiosum sit illud institutum ostracismi, quod repugnet jurijurando et populi et senatus, qui quum juravissent, nunquam se inaudita re quemquam vincturos aut supplicio affecturos esse, tamen nec accusandi nec causam dicendi data potestate clandestino suffragio aliquem decem annorum exilio multaturi essent. Idem infra §. 25 pergit: *ἡγοῦμαι δ' αὐτὸν πρὸς τοῦτο μὲν οὐδὲν ἀντερεῖν, λέξειν δὲ περὶ τῆς νίκης τῆς Ὀλυμπίασι, καὶ περὶ πάντων μᾶλλον ἢ τῶν κατηγορηθέντων*, praedicit igitur, adversarium suum potestate causae dicendae data, non responsurum esse ad accusationem, sed haec illa allaturum sibi videri. Jam satis habeo, omitto quaedam alia, quae leviora mihi videntur. Haec omnia autem arbitror rhetorem aliquem orationem sive exercitandi sive fraudandi causa componentem nullo contradicente scribere potuisse, verumtamen Athenis in foro, coram populo si talia quisquam effutisset, Athenienses capita sua quassaturos fuisse opinor. Audire mihi videor mirantes sciscitantesque inter se, quae hic nobis juramenta, cuinam tandem jurasse nos insanit iste? Quod est illud populi senatusque jusjurandum, quid queritur sibi non datam esse potestatem aut accusandi aut defendendi, quum et ipse Alcibiadem vehementissime accuset et, quomodo ille se defen-

surus sit, praedicat. Ipse quid sibi velit nescit, apage vesanum nugatorem. Et profecto recte dixissent, nam neque causae dicendae neque accusandi demta erat potestas, licet non esset facultas data sicut in judicio libelli dandi. Deinde populus et senatus non communi jurejurando tenebantur, quod Meierus quoque diserte evicit. Id sane constat, quo die de ostracismo ipso suffragium habebatur, non erat tempus aut accusandi aut se defendendi, eo die omnino defuit potestas verba faciendi, quodsi illum diem spectet orator noster, ea ipsa re significat quam lucidissime, orationem esse spuriam ipsumque mores institutaque Atheniensium illius temporis, inprimis ostracismi exsequendi rationem non satis novisse. Idem apparere mihi videtur de eo, quod orator (§. 3) dicit, certamen esse inter se et Niciam et Alcibiadem. U t r u m enim testularum suffragium iniretur annon et de quibus viris, id populus sexta prytania interrogabatur ibique et accusare et defendere concessum erat. Ubi vero decretum est ea de re populus prytania octava in suffragium vocabatur, quo die quomodo quis orationem habere potuerit, nemo animo fingere poterit nisi quem, qua ratione ostracismus habitus sit, plane fugit.*)

Venio ad ea, quae contra Alcibiademm accusandi causa affert, ex quibus duae res inprimis historiae repugnare videntur. §. 11. accusat Alcibiadem: *Πρῶτον μὲν οὖν πείσας ὑμᾶς τὸν φόρον ταῖς πόλεσιν ἐξαρχῆς τάξαι τὸν ὑπ' Ἀριστείδου πάντων δικαιότατα τεταγμένον, αἱρεθεὶς ἐπὶ τούτῳ δέκατος αὐτὸς μάλιστα δ ι π λ ά σ ι ο ν α ὐ τ ὸ ν ἑ κ ά σ τ ῳ τ ῶ ν σ υ μ μ ά χ ω ν ἐ π ο ί η σ ε ν, ἐπιδείξας δ' αὐτὸν φοβερὸν καὶ μέγα δυνάμενον ἰδίας ἀπὸ τῶν κοινῶν προσόδους κατεσκευάσατο. σκέψασθε δὲ πῶς ἄν τις κακὸ μείζω τούτων κατασκευάσειεν, εἰ τῆς σωτηρίας ἡμῖν πάσης διὰ τῶν συμμάχων οὔσης ὁμολογουμένως, νῦν κάκιον ἢ πρότερον πραττόντων, τ ὸ ν φ ό ρ ο ν ἑ κ ά σ τ ῳ δ ι π λ α σ ι ά σ ε ι ε ν.* Diserte hic bis orator dicit, Alcibiadem omnibus sociis tributum duplicasse, quod dico neque verum esse neque fieri potuisse, his de causis. Primum nemo hujus duplicati tributi minimam facit mentionem, quod quidem permirum esset, si res ita se haberet. Solus Andocides in oratione de Pace §. 8 hoc habet: *Πάλιν δὲ διὰ Μεγαρέας πολεμήσαντες καὶ τὴν χώραν τμηθῆναι προέμενοι, πολλῶν ἀγαθῶν στερηθέντες αὖθις τὴν εἰρήνην ἐποιησάμεθα, ἣν ἡμῖν Νικίας ὁ Νικηράτου κατειργάσατο. οἶμαι δ' ὑμᾶς ἅπαντας εἰδέναι τοῦτο, ὅτι διὰ ταύτην τὴν εἰρήνην ἑπτακισχίλια μὲν τάλαντα νομίσματος εἰς τὴν ἀκρόπολιν ἀνηνέγκαμεν, ναῦς δὲ πλείους ἢ τετρακοσίας ἐκτησάμεθα καὶ φόρος προςῄει κατ' ἐνιαυτὸν πλέον ἢ δ ι α κ ό σ ι α κ α ὶ χ ί λ ι α τ ά λ α ν τ α.* Idem invenimus in Aeschinis oratione de falsa legatione p. 300, quem ex Andocide hausisse pro certo habere possumus. Initio belli Peloponnesiaci ex tributis sociorum Atheniensium ad sexcenta talenta rediisse, Thucydides ipse auctor est. Quo tempore tributa sociorum mutata sunt in exigendam vicesimam rerum et importatarum et exportatarum, (Thuc. VII, 28) summam omnium tributorum fuisse ad XIIII milia

*) Praeclare de hac quoque re disputavit Meierus l. l. p. 451: „In quanam concione vis hanc contra Alcibiadem orationem esse habitam? quae si non in concione est habita, nunquam est habita. In primane ordinaria sextae prytaniae? At ipsum orationis initium docet jussum jam ostracismum haberi, designatos jam esse inter quos certaretur de ostracismo. An igitur in ea ipsa concione, qua institutum est certamen? crederes id propter ea, quae §. 5 exstant: *οἶμαι δὲ καὶ τοὺς φίλους ἐν ταύτῃ μάλιστα τῇ ἡμέρᾳ λυπεῖσθαι καὶ τοὺς ἐχθροὺς ἥδεσθαι.* Verum haec concio in foro habebatur, in quo neque suggestus fuit sive *βῆμα* oratori neque sedilia auditoribus, stantes vero audiverunt Romani cives, non audiverunt Graecorum conciones etc.

talentorum Plutarchus tradit, postquam demagogi sensim ea magis magisque auxerint. Tributa quin tali modo aucta sint quis dubitet, quum sexto quoque anno (Schoemannus I, 455) ratio eorum denuo constitueretur. Ejusmodi constitutioni Alcibiadem quoque aliquando adfuisse quum admodum credibile sit, tamen quidquid cognitum habemus de ea re significat, eum tributa qualia quidem ab Aristide ipso dispertita essent omnibus sociis simul duplicare prorsus non potuisse. Nimirum quae facta erat ab Aristide tributorum distributio tum omnino non superfuit, quum jam Pericles eam mutasset, et ut supra dictum est sexto quoque anno esset redintegrata distributio. Deinde pace Niciae quam vocabant diserte pactum erat, ut nonnullae urbium foederatarum tributa sicut ante penderent (Boeckh, II, 431, Anm. 409). Nec minus notum est, majorem illam tributorum summam non solum auctione eorum quae jam penderentur sed etiam novarum urbium accessione factam esse. Denique certe est quod credamus, tributorum omnium duplicationem simul effectam quae res esset multo majoris momenti quam illa immutatio in vicesimam exigendam, etiam Thucydidi futurum fuisse ut digna videretur quam memoriae proderet. Ex omnibus his rebus concludere possumus, illam duplicationem ab Alcibiade nunquam factam esse et oratorem qui praesente Alcibiade verba faceret admodum cauturum fuisse, ne talia proferret, quae se ementitum esse perfacile ab illo convictus esset. Restat ut addam Meiero quoque illam duplicationem tributorum falsam fictamque visam esse.*) Deinde mihi scrupulum injecit dubitationemque ea res quam profert de Melia muliere. Orator haec dicit §. 22: ὅς τηλικαύτας ποιεῖται τῶν ἁμαρτημάτων ὑπερβολάς, ὥστε περὶ τῶν Μηλίων γνώμην ἀποφηνάμενος ἐξανδραποδίζεσθαι, πριάμενος γυναῖκα τῶν αἰχμαλώτων υἱὸν ἐξ αὐτῆς πεποίηται, ὃς τοσούτῳ παρανομωτέρως Αἰγίσθου γέγονεν, ὥστ' ἐκ τῶν ἐχθίστων ἀλλήλοις πέφυκε κτλ. Hic locus si orationem nostram vere habitam esse statuamus a primo initio mihi explicari omnino non posse visus est. Vaterus quidem in sua dissertatione p. 427. omnes difficultates mira laxitate tollit his verbis: „Quodsi Alcibiades (l. l.) filium dicitur sustulisse ex Melia captiva, licet urbs tribus fere mensibus ante tempus orationis capta sit, quid hoc ad nos? nam neque post subactos demum Melios istam captivam emisse dicitur Alcibiades, neque in posteriore bello capta esse illa mulier, ut non incredibile sit, post priorem expeditionem contra Melios Ol. 88, 3 pr. factam venditam esse illam aut alia occasione in servitutem venisse; atque etiamsi verno tempore Ol. 90, 4, cum Meliis rursus bellum inferretur capta sit, tamen cum oraretur filium ex ea habere potuit Alcibiades." Haec confirmare studet laudando Droysenio de Aristoph. Avibus in Welckeri Mus. Rhen. Vol. III. p. 200 not.: „Indess währte die Belagerung von Melos lange genug, dass ein melisches Mädchen vor mehr als neun Monaten in Gefangenschaft gerathen und an Alkybiades verkauft sein konnte."

*) Conferatur etiam quid jam Grotius censuerit de hac re, Historia Graeca III. p. 319: Der Redner Aeschines bezieht die Vermehrung des Tributes auf 1200 Talente auf die dem Frieden des Nikias folgende Zeit: Boeckh (Staatsh. d. Abth. III, Cap. 15—19) glaubt, sie habe früher als die Aufführung der Vespae des Aristophanes stattgefunden, d. h. etwa drei Jahre vor diesem Frieden, oder um 423 v. Ch. Dies würde aber gerade vor der Zeit des Zuges des Brasidas nach Thrakien und seinem Erfolge, Aufstand unter den von Athen abhängigen Staaten zu erregen, gewesen sein. Hätte nun Athen den Tribut für alle seine Verbündeten eben vor diesem Zuge verdoppelt, so könnte Thucydides nicht unterlassen haben, dies, als die Wechselfälle des Erfolges für Brasidas vermehrend und als die Entschlüsse der Akanthier und anderer zu bestimmen helfend zu erwähnen, welche zum Aufstande keineswegs einstimmig und ohne Zögern angenommen wurden.

Hoc non est explicare sed eludere difficultates, nam id quod Vaterus non dictum esse existimat: „Neque post subactos Melios istam captivam emisse dicitur Alcibiades neque in posteriore bello capta esse illa mulier" id ipsum non quidquam aliud dicitur. Quid est aliud latine *περὶ τῶν Μηλίων γνώμην ἀποφηνάμενος ἐξανδραποδίζεσθαι* quam, postquam sententiam suam tulit ut Melii in servitutem venderentur, deinde *πριάμενος γυναῖκα τῶν αἰχμαλώτων* i. e. ex captivis mulierem emit, ex qua etc. Adde quod locus sensu omnino careret, si opprobrio daretur, quod captivam emisset et ex ea filium procreasset multo ante factam eversionem, quum flagitia ejusmodi apud veteres non raro evenirent. Multo magis mihi igitur placet Meierus, qui et ipse p. 266: „Verum, inquit, cum Melus initio demum hiemis Ol. 91, 1. capta sit, ostracismum autem, cui haec oratio scripta fingitur, fere media ea hieme habitum esse oporteat, illud Oedipus aliquis interpretetur, qui potuerit in ea oratione jam commemorari ex Melia muliere susceptus filius; quid? quod eundem significare videtur, non nuper esse susceptum, cum *πεποίηται* dicat, neque infantulum sed jam adultum esse, quem non *παῖδα*, non *παιδίον*, non *παιδάριον* sed *υἱὸν* appellet." Eodem modo jam Grotius Hist. Graec. III, 319 de hoc loco disseruit: Unter den Beschuldigungen gegen Alkibiades ist eine die, dass dieser, nachdem er in der Volksversammlung anempfohlen hatte, dass die Bewohner von Melos in die Sklaverei verkauft werden sollten, selbst ein melisches Frauenzimmer gekauft und einen Sohn von ihr gehabt hatte: es sei verbrecherisch (führt der Sprecher als Grund an) Kinder mit einer Frau zu erzeugen, wo er dazu beigetragen habe, dass ihre Verwandten hingerichtet worden seien, und wo er zum Verderben ihrer Stadt beigetragen habe.

Ich berühre diesen Grund zu keinem anderen Zweck, als um den Punkt der die Zeitrechnung betrifft, hervorzuheben. Die Rede, wenn sie ja gehalten wurde, muss frühestens beinahe ein Jahr nach der Einnahme von Melos durch die Athener gehalten worden sein; sie mag von späterem Datum sein; s i e k a n n a b e r m ö g l i c h e r w e i s e n i c h t e i n f r ü h e r e s D a t u m h a b e n.

Nun ergab sich Melos in dem der grossen Expedition der Athener nach Sicilien im Jahre 415 v. Chr. unmittelbar vorhergehenden Winter, welche Expedition um die Johanniszeit absegelte (Thuc. V, 116; VI, 30). Nikias und Alkibiades waren beide Befehlshaber bei diesem Kriegszuge: der Letztere wurde ungefähr drei Monate später auf Anklage wegen Gottlosigkeit nach Athen zur Untersuchung zurückgerufen, auf der Heimreise entkam er aber, wurde in seiner Abwesenheit zur Verbannung verurtheilt, und kam erst im Jahre 407 v. Ch. nach Athen zurück, lange nach dem Tode des Nikias, der fortwährend im Genusse der Achtung seiner Landsleute den Befehl der Heeresmacht in Sicilien bis zu deren vollständigem Verunglücken und Vernichtung vor Syrakus behielt — und der selbst nachher als Gefangener der Syrakusaner umkam.

Wenn man nun diese Umstände zusammennimmt, wird man sogleich ersehen, dass es zehn Monate oder später nach der Einnahme von Melos niemals eine Zeit gegeben haben kann, wo Nikias und Alkibiades einer Abstimmung durch Ostracismus zu Athen blosgestellt werden k o n n t e n. Dies ist absolut unmöglich: und die Rede, in welcher solche historisch und chronologisch unverträgliche Dinge verkörpert sind, muss unächt sein: überdiess muss sie lange nach der Zeit, in der sie vorgeblich gehalten wurde, abgefasst worden sein, wo die chronologische Reihenfolge der Ereignisse vergessen war.

Haec ille, nec habeo quod addam, nisi quod credo aut esse hanc orationem fictam suppositiciamque aut ausum esse illum oratorem coram Atheniensibus proferre res ejusmodi, quibus illis ludibrio irrisuique futurus esset.

Sed haec hactenus. Haberem etiam plura quae proferrem, sed credo id non necesse esse, immo vero prorsus superfluum, quum omnia singulatim Meierus in iis quas de hac oratione scripsit commentationibus tractaverit.

Quantum enim ex oratione ipsa fieri potuit doctissimus ille vir evicit, neque Phaeacem neque Andocidem sed ementitum aliquem rhetorem hanc orationem scripsisse. Quod quomodo fieri potuerit atque ejusmodi admodum saepe factum esse, in prima commentatione tam evidenter et lucide demonstravit, ut nemo dubitare possit. Utique qui attente totum opusculum perlegerit is fatebitur, haec omnia et mirae eruditionis esse documenta et ex illis concludi posse hanc orationem non facile a Phaeace esse scriptam, sed eam esse fictam atque suppositiciam his omnibus rebus non evinci. Ut enim orator falso crimine Alcibiadem accusaverit, quod duplicasset tributa, quis nescit, quantopere hac in re oratores Graecorum sibi indulserint; ut illud scelestum stuprum cum Melia muliere jam ante Meli eversionem commiserit, ita ut orator tantum non satis accurate quamquam ex consilio de ea re loqueretur, quid aliud quam rem per se non honestam exornavit et amplificavit, quo majus inde in Alcibiadem odium excitaret; ut de ostracismo non satis perite et apte disseruerit, quis dubitat, quin etiam saepius oratores parum lucide et ad rem dixerint; ut denique, ne sim longus, sexcenta scripserit personatus orator, quae ut Meiero videtur p. 106 orator scribere non potuit, et sexcenta alia non scripserit, quae sive Andocides sive Phaeax scribere debebat, si modo constat esse institutum ostracismum illo anno, esse habitam orationem a Phaeace, exstare orationem, qua ille ipse ostracismus tractetur, vix tum quisquam dicere possit, hanc orationem esse falsam fictamque. Itaque in mea hujus rei perscrutatione id magis secutus sum et spectavi, sitne ostracismus habitus hieme anni 415, idque quo magis sum exsecutus, eo plus dubitationis mihi inde obortum est.

Omnes adhuc hujus orationis interpretes illud testularum judicium, cui haec oratio scripta fingitur, institutum esse putaverunt hieme anni 415. Quod cur fecerint, non aliam causam invenire possum, quam quod in nostra oratione mentio fit de eversione insulae Meli per Athenienses facta. Sed quis non videt, hunc esse circulum in semet ipsum remeantem. Etenim si nostra oratio non dico a falsario ficta esse existimanda at certe addubitanda est, quomodo quis argumento ex ipsa oratione demto uti potest ad statuendum tempus quo habita sit. Quid? si illo anno testularum suffragium omnino non latum sit, nonne tum id validissimum argumentum esset, orationem esse spuriam, quod eversionis Meli insulae quam ineunte hieme anni 416 factam esse inter omnes constat in ea mentio fit? Sed rem accuratius persequar. Thucydides quum res ab Atheniensibus gestas duobus ante hunc annis et 417 et 416 satis breviter confecerit, ex quibus paene nihil retulit nisi post pugnam apud Mantineam Alcibiadem, quum de foedere inter Spartanos et Argivos faciendo ageretur, forte Argi fuisse, Athenienses postea ex Peloponneso ejectos esse, Dies vel Dicties ab iis descivisse, eos Argivis qui rursus a Lacedaemoniorum societate defecerant muros longos exstruentibus opem tulisse, denique Melum bis obsessam postremo cepisse et crudele de

incolis supplicium sumpsisse. Longe aliter res se habet, quum transit ad annum 415, quo ipso ostracismus ille habitus sit necesse est. Statim initio ejus libri tradit, Athenienses ea hieme id egisse, ut majore apparatu quam antea sub Lachete et Eurymedonte rursus in Siciliam navigarent illamque insulam, si possent, subigerent, nescientibus plurimis, et quanta esset insula, et quantus numerus incolarum ejus et Graecorum et barbarorum, ac suscepisse se bellum non multo minus, quam erat contra Peloponnesios gesti. Descripta deinde insula ejusque incolis enumeratis docet, quibus causis Athenienses maxime ad id bellum suscipiendum commoti sint. Egestanos a Selinuntiis Syracusanorum ope oppressos Atheniensium opem implorasse simulque demonstravisse, si Syracusani oppressis Egestanis totam insulam suae ditionis fecissent, fore ut cum Peloponnesiis, Dorienses cum Doriensibus, sese conjungerent, unde Atheniensibus summum fore ut periculum impenderet. Itaque Athenienses decrevisse, ut legati mitterentur, qui et Egestanorum opes num tantae essent quantas illi professi erant inspicerent et quomodo sese res haberent Selinuntiorum. Jam paululum amplius duce Thucydide (VI, 8) res exequamur oportet. Redierunt illi legati primo veris initio (ἅμα ἦρι) i. e. die XV mensis Martii, vel minimum proximis diebus. Quod enim dubitat E. F. Poppo in annotationibus ad hunc locum scriptis (cf. Thuc. ed. Poppo pars. III. vol. IV, p. 31) num accuratissime de veris initio astronomico accipienda sint haec verba, mihi confirmari videtur eo quod paulo post Thucydides ipse pergit §. 3 πέμπτῃ ἡμέρᾳ, unde conjicere licet eum hoc loco illum quoque diem a quo numerare coepit accuratissime significare voluisse.*) Convocata concione quum legati confirmassent omnia ita se habere, ut antea Egestani professi erant, Athenienses et sexaginta naves illuc mittere decreverunt et duces ejus expeditionis creaverunt Alcibiadem Cliniae filium et Niciam Nicerati filium et Lamachum Xenophanis filium, qui Egestanis auxilium ferrent. Horum Nicias quum invitus hujus belli dux electus esset, eoque in summum periculum ne patria induceretur timeret, summa vi repugnavit, quominus ea res conficeretur. Itaque quinto die post denuo convocata concione quum orationem habuisset, quam nobis Thucydides ad verbum sive servavit sive imitando expressit, Alcibiades, alterius factionis caput, orationem habuit, quam et ipsam tradit Thucydides. His ex orationibus videmus illo tempore maxime certatum esse Athenis inter duas partes, alterorum qui sive quod omnino pacis essent amantes sive quod perquam bene intelligerent, Atheniensium vires non esse eas ut illam insulam subjicerent nedum subjectam obtinerent, cives suos quo minus id bellum susciperent summa vi retinere studerent, quorum rem quasi egit Nicias et a quibus stetit major pars natu majorum, alterorum qui sive quod ipsi illius expeditionis difficultates ignorarent, quod ipse Thucydides tradit, sive nimis confisi Atheniensium opibus, non sine spe fore ut rebus prospere gestis suas quoque fortunas vel augerent vel restituerent, quorum dux et signifer erat Alcibiades, quamque partem juniorum bellique cupidorum major pars sequeretur, id egerunt, ut bellum susciperetur. Traditum est, Alcibiadem sperasse, non solum Syracusas totamque Siciliam sed etiam Carthaginem omnemque

*) Accedit, quod etiam Droysenius illum diem fuisse XVI. mensis Martii putat, quod ex Aristoph. Lys. v. 391 seq. Adoniis hanc concionem habitam esse liqueat. Licet id dubitet Poppo, quod in quem diem inciderint Adonia plane ignoremus, tamen refutari Droysenius non potest, et constat, ea quoque re eundem diem significari.

Africam et Italiam se subjecturum ingentemque et gloriam et divitias inde sibi pariturum esse. Haec omnia accuratissime Thucydides tradit, ita ut etiam nunc utriusque causas et contra illam expeditionem et pro ea allatas perpendere possimus, quod qui fecerit mox intelliget, Alcibiadem et multas et graves causas suscipiendi belli prompsisse, ita ut, si eventus iis quae praedixerat non respondit id quidem constet, eum summam reipublicae administrandae peritiam simulque rei bellicae scientiam ostendisse. Quidquid vero de illa re protulerint, id unum manifestum est, nullum omnium nec Thucydidem, nec Niciam nec Alcibiadem ne verbo quidem ostracismi habiti mentionem facere, quod num fieri potuerit, illico videbimus.

Habendi ostracismi ut Schoemannus demonstravit ea erat ratio, ut sexta prytania populus interrogaretur, velletne ut de aliquo testularum suffragium iniretur. Quod si populo placuerat, ostracismum haberi, octava prytania per phylas suffragium habitum est. Itaque ante omnia videamus in quem diem ejus initium illo anno inciderit.

Olympias nonagesima prima initium cepit die XX mensis Julii, si igitur ab illo inde die proficiscimur quum sex primarum prytaniarum singulae tricenos quinos dies continuerint hic ordo nascetur:

prima prytania a die XX mensis Julii ad diem XXIII m. Aug.
sec. pryt. a. d. XXIV m. Aug. ad d. XXVII m. Sept.
tert. pryt. a. d. XXVIII m. Sept, ad d. I m. Nov.
quart. pryt. a. d. II Nov. ad VI m. Dec.
quint. pryt. a. d. VII Dec. ad X m. Jan.
sext. pryt. a. d. XI Jan. ad d. XIV m. Febr.
sept. pryt.*) a. d. XV Febr. ad d. XXIII m. Mart.

Itaque invenimus, octavam prytaniam coepisse die vicesimo quarto mensis Martii, quum jam XV die legati Atheniensium et Egestanorum ex Sicilia rediissent. Illa concione Niciam et Alcibiadem et Lamachum duces creatos esse quum constet, qui fieri potuit, ut de iisdem paucis diebus post ostracismus institueretur, quum Thucydides ipse tradat quinto die post concione denuo convocata de illa re actum esse. Id quidem nemo unquam obtinere audebit, sed fortasse dixerit quispiam, illam concionem de expeditione in Siciliam mittenda post illud tempus demum habitam esse. Verum ne hoc quidem credam, primum quod non video, cur Thucydides ineunte vere (ἅμα ἦρι) non veris initium significasse putandus sit, quippe qui illius temporis spatia singula (πέμπτῃ ἡμέρᾳ) accuratissime tradat. Deinde necesse esse mihi videtur quam maturrime illam concionem habitam esse, quum Athenienses quod Nicias cunctam rem impediturus etiam majores belli apparatus posceret tamen ineunte aestate omnia perfecta atque absoluta haberent, quod fieri non potuisset, si multum temporis diducenda trahendaque re trivissent. Postremo si vel maxime legati initio demum mensis Aprilis, quod est extremum, reversos esse ponamus, ne sic quidem verisimilime est paucis diebus antea inter illos duces de ostracismo esse decertatum. Scimus enim Athenienses per totam illam hiemem illam rem agitasse, scimus eos ob id ipsum jam lega-

*) Quatuor ultimae tricenos senos dies habebant.

tos in Siciliam misisse, scimus denique eos Niciam invitum ejus rei ducem cum duobus aliis elegisse. Atqui de eligendis ducibus necesse fuit ut jam antea aliquantum temporis agerent, nec minus de viris testulatum suffragio ex patria ejiciendis. Qui vero convenit, de iisdem viris agitatum esse simul num ejicerentur e civitate, quod reipublicae periculum ab iis impenderet, simul num maximae quae toto bello facta est expeditionis duces crearentur. Id hercle si quid umquam omnem rerum humanarum modum excederet. Sed non credo ut jam supra dixi. Veris initium quum incideret in diem XV mensis Martii, Thucydides non scripsisset ἅμα ἦρι nisi sive eodem die sive proximis diebus post legati illi revertissent, itaque fieri non potuisset, quin et concio de ostracismo et illa de expeditione Sicula habita in idem tempus inciderent, quod mihi quidem incredibile videtur. Accedit, quod prorsus intelligi non posset, cur Thucydides qui Hyperbolum ostracismo expulsum esse (VIII, 73) perquam bene sciret ejus rei ne minimam quidem mentionem fecerit, si illo eodem tempore factum esset, quum accuratissime singula quaeque traderet.

Quibus de causis quum fieri vix potuerit, ut illo anno ostracismus de illis viris haberetur, alia accedit res quae certo argumento significat, duobus vel minime uno anno ante 415 illum ostracismum habitum esse. Theopompus apud scholiastam Aristophanis Vesp. 1001 prodit ista occasione abrogatum esse ostracismum; deinde addit *ἐξωστράκισαν τὸν Ὑπέρβολον ἓξ ἔτη· ὁ δὲ καταπλεύσας εἰς Σάμον καὶ ἐκεῖ τὴν οἴκησιν αὐτοῦ ποιησάμενος ἀπέθανε.* Parva quidem res; ubi vero tot tantaeque obstant, quominus putemus, esse ostracismum illum habitum vere 415, ibi minima quaeque res quae demonstrat eum prius habitum esse maximi momenti recte mihi videtur. Mirum in modum in hoc Theopompi loco interpretando viri docti desudarunt, sed omnes incassum, nam neque, id quod una cum Vatero p. 429 dico, *δέκα* pro ἕξ, ut olim Meineckius Quaest. Scen. II. p. 30 not. 2 emendabat, scribendum est, nec *πέντε*, quod nuper eidem Histor. crit. Com. Graec. p. 194 not. cum Meiero in Ersch. et Gruber. Encycl. s. voc. Ostrakismos p. 182 b. arrisit, sed aut fallor aut scripserat Theopompus, sexto anno exilii interfectum esse Hyperbolum etc. Rectissime quidem; jam vero Vaterus quoque quoad fieri potest demonstrare conatur, Hyperbolum quem Ol. 92, 1 mortuum esse scimus ex Thucydide (l. l.), Ol. 91, 1 ex Athenis pulsum esse. Equidem confiteor, me non intelligere, quomodo scriptor ille dicere potuerit, esse quendam sexto anno ejectum qui vel maximum quinto archonte mortuus est, quos ab Ol. 91, 1 ad 92, 1 numero. Vaterus in annotatione addit, „qui testimoniis ambiguis et non satis disertis crediderunt quinquennalem fuisse ostracismum posteriore aetate, non possunt Hyberboli causam aut ante aut post Olymp. 91, 1 collocare, cui anno vidimus orationem assignandam esse (ob Meli insulae commemorationem, licet oratio ipsa non ficta sit!) nam si Olymp. 90, 4 octava prytania excidisset Hyperbolus, cum interficeretur quinque annos et aliquot menses explevisset, licet Thucydide teste adhuc in exilio viveret; sequentibus vero annis neque Alcibiades neque Nicias affuit, sed opinionem istam de legitimo quinquennali ostracismo falsissimam esse, infra ostendam." Opinio ista de legitimo quinquennali ostracismo ne mihi quidem placet, sed cur Hyperbolus non Ol. 90, 4 excidisse potuerit, prorsus non intelligo. Quod enim affert Plutarchum, qui significaverit Alcibiadis et Hyperboli causam statim ante expeditionem Siciliensem actam esse, quum scriberet, (Nic. 11) *ἄκριτον ἡ τύχη πρᾶγμα καὶ ἄληπτον λογισμῷ· Νικίας γὰρ εἰ τὸν περὶ ὀστρακισμοῦ κίνδυνον*